

248^a

Actus
solemnis
dimissionis
et
euacuationis
ciuitatis
Comacti
secutae
XX Februarii
C1D15CCXXV

Handschr.
248^a
fol.

No. 248^a

Actus

1717

1718

1719

1720

1721

1722

1723

1724

1725

1726

1727

1728

1729

1730

1731

1732

1733

1734

1735

1736

1737

1738

1739

1740

1741

1742

1743

1744

1.

Excellmo Dno S. R. I. Comiti Hieronymo de Colloredo, S. C. M^{to}
Consiliario arcano et Governatori et Capiteaneo genti in
toto mediolanensi Dominio.

Comacliensis urbis, locorumue adiacentium, quae plurimum anno-
rum spatium in potestate inuictissimi et clementissimi Imperatoris
Domini nostri non absque iusto titulo steterit, solemnem dimissio-
nem ab eadem Caesarea Maiestate factam sanctae apostolicae Se-
di, meoque intercedente ~~mihi~~ celebratam ad manus Ex^{ae} Vrae
quas obsequentissime osculor, uenerabundus differo in aduinc-
tis authenticis scriptis. Insigne hoc opus, non modo Austriacam
pietatem caesareamque magnificentiam erga Ecclesiam, uerum
etiam luculentissime meum exhibet specimen singularis optima-
eque opinionis, quam Augustissimus Dominus de Ex^{ca} Vra iure
merito seruat cum inter tot Principes Proceresque Imperii eam-
dem Ex^{am} Vram ad rem tanti momenti elegerit, collata nedum
in Ex^{am} Vram, sed in eum quoque, cui ipsa uices suas committe-
ret imperiali plenipotentia. Tanti equidem apud inuictissi-
mum et clementissimum Caesarem sunt fides, prudentia alia-
que Ex^{ae} Vrae cumulatifisima merita, ea porro ipsa, quae
eamdem Ex^{am} Vram nobis semel datam iam bis confirmari, et
in suauissimo eius Gubernio communem huius provinciae feli-
citatem prorogari obtinuerunt. Plura hoc loci mihi forent dicen-
da, si promeritis Ex^{ae} Vrae laudibus enarrandisque eximiis
beneficiis, quae mihi impertita est maxima eius humanitas, mea
paret tenuitas. Superrimum illud nulloque pacto praeter-
mittendum attingisse sufficiat, quod nempe Ex^{ae} Vrae me selige-
re, atque in Caesarem Imptem Notarium nominare, ut de
tam splendida solemnique dimissione rogatus forem.
Enimvero nihil acceptius nihilue gloriosius mihi poterat obtu-
ere, quam quod acta mea insigni adeo monumento decorata ma-
nerent, atque ex iis perpetuo constaret, auctorante Ex^{ae} Vra
me quandoque nactum esse gloriam in caesareo seruitio tenuita-
tis meae operas impenderedi. Pro ingenti hoc beneficio ac sin-
gulari honore nihil habeo, quod rependam, nisi humillimas gra-
tes, quas obsequentissime persoluo. Hasce Ex^{ae} Vrae pro spectatif-
sima eius humanitate excipere dignetur, et faustissimum eius
patrocinium mihi seruare, qui nunquam esse deero
Ex^{ae} Vrae

Mediolani die 17 Martii 1725.

humillimus et obsequentissimus seruus,
Antonius Maria Auregius

In actis receptis per me Notarium imperialem caesareum
infrascriptum ad hoc specialiter delegatum habetur ut infra
In nomine Domini anno millesimo septingentesimo uigesimo quin-
to die Martis uigesima Februarii, Indictione tertia.

Cum sit, quod sub die 25. Nouembris anni proxime elapsi per
Eminentissimos S. R. E. Cardinales Paoluccium et Cienfuegos uti
Pontificium respectiue et Caesareum Plenipotentiaris fuerit
in alma urbe conclusus tractatus de dimittenda possessione
ciuitatis Comacli aliorumque locorum iam dudum occupato-
rum et detentorum per Inuictissimum et Clementissimum
Caesarem, stabilitis super inde nonnullis articulis inferi-
us recensendis et inserendis, fueritque conclusio ipsa mutua
rati habitione confirmata tam per S. M. Dominum nostrum
Benedictum XIII, Pontificem maximum, quam per Inuictissimum
et Clementissimum Carolum VI, Imperatorem nostrum.

Cumque pro executioni demandanda dicta dimissione fuerit per
suam Sanctitatem nuncupatus et deputatus in suum Plenipa-
tentiarium Eminentissimus Dominus Iohannes Patritius S. R. E.
Presbyter Cardinalis et Legatus Ferrariae, per suam uero Caesa-
ream et Catholicam Maiestatem Excellentissimus Dominus S. R.
I. Comes Hieronymus de Colloredo, eius Consiliarius artanus ac
Ducatus Mediolanensis Gubernator et Dux generalis, nec non
excelsae Deputacionis Praeses, tributa utrique Plenipotentia-
rio respectiue facultate substituendi, ut ex pontificiis caesareis
que literis 9. Ianuarii currentis anni et 13. Decembris anni pro-
xime euolucti tenoris sequentis.

Breue Pontificium. Benedictus P. P. XIII.

Dilecto filio nostro salutem et apostolicam benedictionem:
Cum iuxta capitulationes per venerabilem fratrem nostrum Fabri-
tium, Episcopum Portuensem et sanctae Rufinae S. R. E. Cardi-
nalem Paulutium nuncupatum nostrum ac Sedis apostolicae
Plenipotentiarium, ac dilectum filium nostrum Aluarum ipsius
S. R. E. Presbyterum Cardinalem Cienfuegos pariter nuncupa-
tum, carissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum Catho-
lici et Romanorum Regi in Imperatorem electi similiter
Plenipotentiarium

Plenipotentiarium conuentas, ac tam a notis quam a memorato Carolo Rege in Imperatorem electo ratificatas, possessio Comacli ac Pertinentiarum aliorumque locorum occupatorum propediem dimittenda, ac per Sedem seu Cāmeram nostram Apostolicam recipienda sit. Nos de eximia circumspectionis tuae fide, prudentia et integritate plurimum in Domino confisi, Te auctoritate nostra apostolica tenore praesentium constituimus et deputamus, ut per Te, uel unam uel plures personas, quot opus fuerit a Te deputandas, eiusmodi dimissionem ac possessionem Comacli, pertinentiarum aliorumque locorum occupatorum praedictorum nostro et Sedis seu Cāmerae praefatae nomine in executionem dictarum capitulationum recipias, et de receptis confessiones et quietantias facias, in eisque nostrorum et ipsius sedis militum praesidium constituas. Nos enim tibi quamcumque necessariam et opportunam in praemissis, et circa ea potestatem et facultatem eadem auctoritate harum serie concedimus et impertimur. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die nona Ianuarii 1725, Pontificatus nostri anno primo.

Signatum J. Cardinalis Oliverius

At tergo:

Dilecto filio nostro Johanni S. R. E. Presbytero Cardinali Petritio nuncupato in Ciuitate et Ducatu nostro Ferrariensi nostro et apostolicae Sedis de latere Legato

Diploma
Caesareum.

Carolus sextus diuina fauente clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Rex Germaniae, Castellae, Aragoniae, Legionis, utriusque Siciliae, Hierusalem, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclauoniae, Nauaruae, Granatae, Toleti, Valentiae, Gallitiae, Maioricarum, Seuiliae, Sardiniae, Cordubae, Corsicae, Muritiae, Ciennis, Algarbiae, Algeriae, Gibraltaris, Insularum Canariae et Indiarum ac terrae formae maris occani, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Frabantiae, Mediolani, Stiriae, Carinthiae, Carniolae, Limburgiae, Luxemburgiae, Geldriae, Wirtembergae, superioris et inferioris Silesiae, Calabriae, Athenarum et Megnatricae, Princeps Sueviae, Cataloniae, et Asturiae, Marchio sacri romani Imperii Burgouiae, Morouiae, superioris et inferioris Lusatae, Comes Habsburgi, Flandriae, Fionis, Ferretis, Niburgi, Goritiae et Artesiae, Landgrauius Alsatae,

Marchio Pristani, Comes Götiani, Namurci, Rossilionis et Ceritaniae, Dominus Marchiae Sclauonicae, Portus Maonis, Ristaiac, Molinae Salinarum, Tripolis et Meckliniae.

Notum testatumque facimus tenore praesentium uniuersis, quod Nos ad tractatum, qui super dimissione Comacii locorumque occupatorum per nostrum caesareum et pontificium Plenipotentiarium Cardinales Reuerendissimum in Christo Patrem, Dominum Aluarum S. A. E. Cardinalem Cienfuegos, Episcopum Citanensem sancti Bartholomaei in insula Presbyterum, et Reuerendissimum in Christo Patrem Dominum Frabiticum, Episcopum Portuensem et sanctae Rufinae S. A. E. Cardinalem Paulutium, die uigesima quinta Nouembris proximi conclusus atque nostra caesarea pontificiaque ratihabitionibus confirmatus fuit, plenae executioni tenore conventionis, mandandum esse statuerimus Ultram et Magnificum caesareum nostrum Consiliarium arcanum sacrique Imperii fidelem dilectum Hieronymum Comitem de Coloredo, Ducatus nostri Mediolanensis Gubernatorem, cuius fidem, prudentiam ac rerum gerendarum dexteritatem iamdudum compertam nouimus in caesareum nostrum Plenipotentiarium destinauerimus, et ^{nuncupauerimus, et} constituerimus, prout ipsum hisce de plenitudine potestatis et auctoritatis nostrae caesareae destinamus, nuncupamus et constituimus cum facultate substituendi, atque cum pontificio Ministro, quem Benedictus decimus tertius, summus nudo Pontifex, pro dictorum locorum respectiue euacuatione ac receptione huiusque negotii executione destinauerit, ac plena potentia munitus, subditis et incolis ibidem iuramentum relaxandi, ipsosque, saluo cuiuscumque iure, absoluendi, amagnum integram insinuandi, priuilegiorum, immunitatum, praerogatiuarum priorumque iurium eorundem reservationem publicandi, porro abdicata administratione, atque praesidio nostro imperiali, possessionem Comacii locorumque occupatorum, ut prius pontificio Plenipotentiaris ad hoc sufficienter instructo ac legitimo dimittendi, et quaecumque hac occasione aequa, bona ac iusta sibi uisa fuerint, agendi, totumque negotium ad finem perfectum deducendi ac terminandi.

Promittere

Promittentes uerbo nostro imperiali, quod Nos omnia ea et singula grata firmaque habituri simus. In quorum fidem ac robur hasce manu nostra subscriptas sigilli nostri caesarei appositione muniri iussimus. Quae dabantur in ciuitate nostra Lienna, die decima tertia mensis Decembris, anno millesimo septingentesimo uigesimo quarto, Regnorum nostrorum Romani decimo quarto, Hispanicorum uigesimo secundo, Hungarici et Bohemici uero pariter decimo quarto.

Firmatq; Carolus Locus Sigilli

Uidit Carolus Comes de Schoenborn

Ad mandatum sacrae caesareae Maiestatis proprium

B. Nob. Dom. de Georgenthal

Cumque per dictum Eminentissimum Cardinalem Patritium susseptus fuerit in pontificium Commissarium Ill^{mus} et Reuer^{mus} In^{us} Fabricius Sorbellonius Prolegatus Ferrariae, per dictum uero Excellentissimum D. Comitem de Colloredo in Commissarium caesareum Ill^{mus} et Ex^{mus} D. Don Johannes Hyacinthus Vasquez de Berg, Comes de Pinos della Puente, Eques Ordinis sancti Jacobi, Administrator Commendae sancti Callogeri in Regno Siculo et generalis uigiliarum Praefectus suae caesareae catholicae Maiestatis, et per ipsos D. D. Delegatos Plenipotentiarios indicta et conuenta fuerit hodierna dies pro euacuanda penitus dimittendaque dicta ciuitate, eductis iam prius missisque ad hunc effectum ad ciuitatem et castrum Mantuae tormentis aliisque bellicis instrumentis cum aliqua parte praesidii caesarei.

Cumque ad eundem effectum sub die 17 huius mensis praeuenerit ad hanc urbem praefatus Ill^{mus} et Ex^{mus} D. Commissarius Caesareus una cum egregio D. Iohanne Christophoro Kessler, regio caesareae ^{pro sua Maiestate caesarea catholica, et specialiter nuncupato} Secretario praesentis commissionis, nec non me J. C. Antonio Maria Auregio Caus^o. Colleg^o. Mⁿⁱ. et Syndico generali prouinciae Comensis residente in Mediolani ciuitate in hac

parte, uti Notario imperiali caesareo specialiter delegato, debitoque honore fuerit exceptus praefatus Ex^{mus} D. Commissarius caesareus, tum a D. caesareo Delegato, et a D. D. primis Officialibus caeterisque militiae Ordinibus, tum a reuerendissimo Capitulo et Clero, tum denique ab illmo Magistratu ac Patriciorum coetu uniuersoque populo, et hisce omnibus palam conuocatis proxime posteriori die decima octaua, compertam fecerit causam sui aduentus caesareamque commissionem.

Cumque sub die decima nona ad hanc eandem urbem peruenerit praefatus Ill^{ms} et Reuer^{mus} Dominus Commissarius pontificius una cum Ill^{mo} Abbate Aemiliano Travaglino in ciuitate et Ducatu Ferrariae pro R. C. Aplica Commissario generali et J. C. D. Gratio Braccioli Causidico Collegiato Ferrariensi, et pro eadem D. R. C. A. Procuratore ad hoc specialiter nuncupato, aequali honore et ipse ut supra exceptus, expletisque uicissim inter dictos Ill^{mos} D. D. Commissarios curialibus officiis, peractisque mutuis uisitationibus, communicatae fuerint utrimque literae respectuarum delegationum, sicuti etiam credentiales caeterorum interessentium in utraque commissione, quae omnes sunt tenoris sequentis.

Delegatio Ill^{mi} Johannes tituli ss. quatuor Coronatorum S. R. E. Presbyter Cardinalis Patritius in ciuitate et Ducatu Ferrariae de latere Legatus. et Reuer^{mi} D. Commissarii pontificii.

Cum nobis per literas in forma Breuis die nona Ianuarii currentis anni conscriptas sanctissimus Dominus noster Benedictus XIII mandauerit, ut ciuitas Comacli aliorumque locorum adiacentium, quae a militibus caesareis multis abhinc annis retinentur, ueram ac realem possessionem nomine sanctae Sedis iniremus.

Cumque praedictis militum copiis ex eadem ciuitate atque ab iisdem locis iuxta conuentiones inter Eminent^{issimum} D. Cardinalem Paulucium, Plenipotentiarium pontificium, et Em^{um} D. Cienfuegos, Plenipotentiarium caesareum, confectas, ac subinde a sanctissi-

no Dño nro et a sacra Imperatoris caesarea catholicaque Maiestate confirmatas deccendum sit; nobisque sanctissimus Dñus noster exequendi expediendique rationes tam suo quam sanctae sedis et apostolicae Camerae nomine facultatem tribuerit, praedictamque ciuitatem praesidio pontificio munire mandauerit: Hinc nos u- tentes ea facultate, quae nobis praeterea tradita est, nimirum alteri subdelegandi munus nostrum, Illum et Reuer^m Fabri- tium Sorbelonum uice Legatum nostrum, eximia uirtute uirum et singulari integritate morum ac prudentia praedictum eligimus, constituimus, deputamus et uolumus, ut uices nostras gerendo, munusque nostrum exercendo, omnes et singulae praedictae conuen- tiones sanctissimi Domini nostri suprema mandata integrum et plenum consequantur effectum. Adeoque ei omnes et singulas facultates nobis ipsis tributas concedimus, conferimus et im- pertimus, concessasque, collatas et impartitas haberi omni meliori modo ualidiorique forma, qua possumus. Datum ex castro Ferrariae 17 Februarii 1725. Pontificatus sanctif- simi Domini nostri Benedicti ^{Patrius} P. XIII. anno primo.

Firmatur Johannes Cardinalis ^{Patrius} Legatus subscriptus Ber^g Gus- tius Secretarius.

Sigilli locus

Delegatio Illmi
et Exmi D. Comif-
sarii caesarei.

Hieronymus s. r. imperii Comes de Colloredo, liber Baro Wält- see, Vicecomes Metz, Dominus Opocnae, Soloshau, Starz, aureae clauis Eques, Consiliarius intimus suae sacrae caesareae catholicae Maiestatis, eiusque Gubernator et Capitaneus generalis in toto Mediolani Dominio, nec non in hac parte Plenipotentarius caesareus.

Cum gloriosissimus, clementissimus ac inuictissimus Dominus noster Imperator Carolus sextus, quem Deus optimus maximus imperio subditisque suis ac uniuerso

terrarium orbi diuissime seruet, clementissime respiciens obsequen-
tissimam fidem, qua debiti nostri partes in caesareo eius seruitio
adimplere nitimur, dignatus fuerit literis suis patentibus nos
in caesareum Plenipotentiarium suum nuncupare ac constituere,
pro executione demandanda Comacii locorumque occupatorum
dimissione tractata per Eminentissimos Cardinales Cienfuegos
et Pauluccium caesareum et respectiue Pontificium Plenipoten-
tarios, et tum suae caesareae Maiestatis, tum moderni Pon-
tificis maximi, sanctissimi Patris Benedicti decimi tertii,
rati habitionibus confirmata, agendumque superinde cum pon-
tificio Administro consimili auctoritate plenaque potentia ma-
nito ad tenorem iam conuentorum articulorum pro dictorum
locorum euacuatione ac ~~respectiue~~ respectiue receptione, ciuibus,
subditis et incolis ibidem iuramentum relaxando, ipsosque, sal-
uo cuiuscumque iure, absoluendo, amnestiam integram insinu-
ando, priuilegiarum, immunitatum, praerogatiuarum priorum-
que iurium eorundem reservationem publicando, ab dicta ad-
ministratione atque praesidio imperiali possessionem Comacii
locorumque occupatorum, ut prius pontificio Plenipotentiaris
ad hoc sufficienter instructo ac legitimato dimittendo, et quae-
cumque hac occasione aequa, bona ac iusta uidebuntur, agendo,
totumque negotium ad perfectum finem deducendo ac terminan-
do, promittens eadem caesarea et catholica Maiestas uerbo suo
imperiali, se omnia ac singula grata firmaque habituram, nobis-
que etiam dignata fuerit, impertiri clementissime expressam et
amplam facultatem substituendi ad praemissa omnia et singu-
la peragenda, et ut ex ipsis caesareis literis datis Vliennae die
XIII Decembris anni proxime praeteriti. Cumque aliae quampla-
res graues curae pro eodem caesareo seruitio nos detineant,
et exposcant in hoc Mediolani dominio, compertumque caetero-
quin

quin nobis exstet, quae sint partes animique dotes Nobilis et e-
 gregii uiri Comit'is Don de Pinos, ablae nominatae sacrae
 caesareae catholicae Maiestatis generalis uigiliarum praefecti;
 sanguinis claritate et eximiis meritis praectari, et praesertim
 quam spectata erga augustissimam Domum fides, quam eximia
 prudentia atque in rebus gerendis dexteritas, ut nota etiam
 nobis experientia docuit, decreuimus eundem in substitutum nos-
 trum deligere, nominare ac constituere, prout harum tenore iden-
 tes omni meliori modo narrata facultate nobis ut supra attributa,
 cum deligimus, nominamus ac constituimus cum plena caesarea
 potentia ad executionem demandandam praedictam euacuatio-
 nem et dimissionem Comacli locorumque occupatorum, et prae-
 missa omnia circa eam peragenda, non secus ac nos, uigore
 dictae caesareae deputationis ac plenae potestatis peragere
 possemus, pro certo habentes, quod dictus nobilis et egregius
 uir Comes de Pinos ea, qua semper tum ipse, tum maiores sui
 consueuerunt fide, prudentia omnique uirtute non deerit
 hac in re etiam caesaream gratiam promereri, ad quem finem
 eidem illustri substituto nostro opportunas dabimus instructio-
 nes. In quorum fidem haec manu nostra subscripsimus, nostro
 que sigillo muniri iussimus. Datum Mediolani die 13. Ianua-
 rii 1725.

Firmat Hieronymus Comes de Colloredo.

Locus sigilli

Scitane cre- Hieronymus sacri romani Imperii Comes de Colloredo, liber
dentiales D. Baro Waldsee, Vicecomes Melz, Dominus Opocznae, Hoshau,
Secretarii Staar, et aureae clauis Eques, Consiliarius intimus suae sacrae
imperialis. reae catholicae Maiestatis, eiusque Gubernator et Capitaneus
 generalis in toto Mediolani dominio, nec non in hac parte Ple-
 nipotentiarius caesareus.

Cum de proximo demandata sit dimissio ciuitatis Comacli alio.

rumque locorum occupatorum iam conuenta et concordata, tam
ex parte inuictissimi et clementissimi Imperatoris Domini nostri
Caroli sexti, quam ex parte sanctissimi Patris Benedicti XIII,
Pontificis maximi, et ad hunc effectum conuenturi sint tum
caesarei tum pontificii Delegati, et cum oporteat, quod inter
caesarcos interueniat, qui fungatur munere imperialis Secreta-
rii huius caesareae commissionis: nos ideo retinentes praecla-
ra merita Domini Iohannis Christophori Lessler, qui hactenus
consimile munus obiiuit apud caesaream deputationem
in respicientibus gubernium eiusdem ciuitatis Comacti, qui
ue ob cumulatissimum specimen fidei singularisque erga
caesareum seruitium studii, nec non aliarum eximiarum par-
tium nuper promeritus est a sua caesarea catholica Maiesta-
te seligi in Secretarium rerum bellicarum in Regno siculo,
eidem committendam censuimus eiusmodi prouinciam.
Tenore igitur praesentium utentes auctoritate nobis ab eadem
sua caesarea catholica Maiestate attributa ipsum eligimus
et deputamus in Secretarium praedictae commissionis cae-
sariae, praecerto habentes, quod etiam in hoc munere eidem
demandato non deerit caesaream gratiam sibi promereri.
In quorum fidem hasce manu nostra subscripsimus, nostrosque
sigillo muniri iussimus. Datum Mediolani 8 Februarii 1725.
Firmatq. H. Comes de Colloredo.

Locus sigilli.

Litterae cre. Hieronymus sacri romani imperii Comes de Colloredo, liber
dientiales D. Baro Waldsee, Vicecomes Melz, Dominus Oppocznac, Hofshau,
Notarii cae. Aar, et aureae clauis Eques, Consiliarius intimus sua-
sarei impis. caesariae catholicae Maiestatis eiusque Gubernator et Ca-
pitaneus generalis in toto Mediolani dominio, nec non in
hac parte Plenipotentarius caesareus.

Cum

Cum pro executione conuentorum inter inuictissimum et clemen-
 tissimum Imperatorem, Dominum nostrum Carolum sextum, et
 summum Pontificem Benedictum XIII, Pontificem maximum,
 redigi debeat ad actum solemnem dimissio ciuitatis Coma-
 cti aliorumque locorum occupatorum, et ad hunc effectum
 proxime conuenturi sint caesarei et pontificii delegati, requi-
 ratur autem opera alicuius publici Notarii, qui de ipso dimis-
 sionis actu rogatus exstet, atque opportunum Instrumentum
 seu Instrumenta superinde conficiat: Nos igitur, ad quos pro
 impleto caesarearum iussuum spectat electio Notarii
 ad praemissa idonei, compertum habentes eximium specimen
 tum idoneitatis tam integritatis et fidei aliarumque ani-
 mi dotium, quod continuo praestitit et praestat J. C. D. Antonius
 Maria Auregius, Causidicus Collegiatus et Notarius huius ci-
 uitatis Mediolani, nec non Syndicus generalis residens pro
 prouincia Comensi in hac ipsa ciuitate, in rebus praesertim pub-
 licis et prae se ferentibus caesareum seruitium, retinentes-
 que, quam laudabiliter se gesserit, dum uti Notarius cae-
 sareus interfuit solemni uisitationi fluminum Padi et Peni-
 eumdem proinde J. C. Auregium hac quoque singulari occa-
 sione seligendum et nominandum duximus, prout tenore
 praesentium eum eligimus et nominamus, ut tanquam No-
 tarius caesareus specialiter delegatus interueniat actui
 praenarratae dimissionis Comacti aliorumque locorum occu-
 patorum executioni demandandae, et de eo et quibuscumque
 ad eam quomodolibet concernentibus, Instrumentum seu In-
 strumenta opportuna conficiat, siue de per se, siue etiam una
 et in solidum cum Notario pontificio ad eadem electo, seu eli-
 gendo ex parte sanctae Sedis apostolicae; pro certo habentes,
 quod eiusmodi sibi iniunctum munus ita implebit, ut praecon-
 cepta de eo opinio magis confirmetur, emicetque singulare

eius studium pro caesareo seruitio. In quorum fidem hanc manu
nostra subscripsimus, nostroque sigillo muniri iussimus.

Datum Mediolani 8 Februarii 1725.

Firmatj H. Comes de Colloredo.

Locus sigilli.

Eodemque sero composita ac conuenta inter partes, quae Cameræ cae-
sareae respiciebant, pro implemento iam stabilitae euacuationis
et dimissionis, et pro istarum acta perficiendo et explendo, pra-
stituta fuerit proxime posterior dies uigesima mane, destinato ad
hunc effectum loco, nempe Aula magna, in qua conuocari solent
Consilia huius illius civitatis.

Cumque proinde condictis hora et loco praecedenter conuenerit, ut
inchoaretur praedicta solemnitas, praefatus Illmus et Exmus
D. Commissarius caesareus iam ibidem conuocato reuerendissimo
Capitulo et Clero, et conuocato uniuersis ciuium et populi ordi-
nibus, iterum illis palam et solemniter enunciauit causam sui
aduentus, caesareamque commissionem deinde per supra dic-
tum Dominum imperialem Secretarium Kessler alta et intelli-
bili uoce publicari fecit supra memoratos articulos, pontificium
inter et caesareum D. D. Plenipotentiariorum stabilitos, et apostoli-
ca imperialique rati habitionibus confirmatos ut supra, iidemque
publicati articuli mihi Notario infra scripto traditi fuere per dic-
tum Dominum Kessler ad effectum eos hic inserendi, et sunt
tenoris sequentis:

Articuli Primo promitti a summo Pontifice pro se suisque successoribus Roma-
publicati. nis Pontificibus sedeque apostolica, se eosdemque nec ratione dam-
norum, quae occasione Comacti siue ante, siue per, siue etiam
post apprehensam a copiis caesareis eius possessionem territo-
rio Sedis apostolicae eiusque subditis quocumque demum modo
illata fuissent, neque ratione fructuum ex Comacto hactenus
perceptorum ullo unquam tempore a sacra caesarea Maestate
serenissimaeque

serenissimaque Domus austriaca quidpiam postulaturos, neque etiam a subditis et incolis comaclensibus eo nomine ullos indemnitate aut reparationis sumptus exacturos, quin immo rei huius articuli omnes istas aliasque eiusmodi praetensiones pro penitus sublatas perpetuo habendas esse.

Secundo possessionem Comacii a sacra caesarea Maiestate eo dumtaxat pacto dimitti, ut in eandem Sedes apostolica restituatur, ut prius, ita scilicet, ut neque eidem Sedi apostolicae per hanc restitutionem aliquid novi iuris tributum, neque Imperio, uel Domui aeternae quidquam iuris sublatum esse censeatur, sed sacrae caesareae Maiestatis et Imperii domusque aeternae iura omnia, tam respectu possessionis, quam petitorii salva remaneant, neminique ex hoc actu praesudicium ullum irrogatum intelligatur, usque dum cognitum fuerit ad quem Comacium pertineat.

Tertio conuenisse de amnestia generali pro omnibus subditis et incolis comaclensibus, et specialiter pro iis, qui a tempore praedictae occupationis, uel etiam antea suam erga caesaream Maiestatem et Imperium deuotionem peculiariter testati, uel Comacii politicis, ciuilibus, oeconomicis aut militaribus officiis functi, uel etiam ex causis siue publicis, siue priuatis ad aulam caesaream eiusque Administratos ablegati fuerunt, ac proinde uigore huius amnestiae praedictis subditis et incolis comaciiensibus, nec quo ad personas, neque quoad bona, statum uel securitatem ex praememorato aliisque huiusmodi causis quidquam molestiae aut impedimenti directe uel indirecte inferendum esse.

Porro sarta tecta seruari omnia iura, priuilegia, immunitates et praerogatiuas, quibus subditi et incolae comaclenses ante supra dictam occupationem usi et potiti sunt, uel citi,

aut potiri debuissent.

Haque Plenipotentarius pontificius nomine summi Pontificis et Camerae pontificiae recipit, et pro recepta ex nunc haberi uult, restitutionem realis possessionis dictae ciuitatis comaclensis aliorumque locorum occupatorum et pertinentiarum in eo, in quo prius erant statu, iuxta praesentis conventionis modum et articulos prae insertos, acceptat, eodem etiam nomine promittens ea, quae a summo Pontifice praestanda in praemissis articulis continentur.

Insuper praedictus Eminentissimus et Reuerendissimus Dominus Cardinalis Aluarus Cienfuegos nomine, quo supra promittit pro pleno atque integro effectu dictae dimissionis et restitutionis praesidia caesarea eorumque milites intra tres menses a die ratificationis computandos a dicta ciuitate comaclensi locisque occupatis recessuros, ac tam militares quam ciuiles cuiuscumque generis Officiales iuxta consuetum in huiusmodi euacuationibus modum, suppeditionis tamen nauigii uel curribus et iumentis pro locorum opportunitate necessariis ad asportanda bellica et propria eorum mobilia, adeo ut integrum liberumque summo Pontifici sit praesidium suorum militum inducere et collocare, ibidemque potestate libere ut prius exercere.

A tergo: Extractus ex ratificatione tractatus pontificio-caesarei super dimissione Comacii. Viennae 11 Decembris 1724

Et de praedicta lectura, publicatione et insertione ipse solus rogatus exstiti, sicuti etiam de antecedentibus actis secutis ante aduentum ^{praefati} Illmi et Reuerendissimi D. Commissarii pontificii.

Atque successiue et in continenti conuenerit etiam in eodem

dem

dem loco praefatus Illmus et Reuerendissimus D. Commissarius pontificius una cum praedictis D. Commissario Travaglino et Domino Notario pontificio, exceptusque curialibus officiis ab ipsomet Excellentissimo Domino Commissario caesareo uterque in respectiuis sedibus ad hunc effectum dispositis sederet, ut inchoata solemnitas perficeretur.

Hinc perlecta per eundem Dominum Secretarium formula iuramenti fidelitatis per comactenses ciues subditos et aliorum adiacentium locorum incolas sacrae caesareae catholicae Maiestatis et Imperio praestiti de anno 1708 occasione, quia a caesareis copiis urbs ista dictaque alia loca occupata remanserunt ab omni eiusdem iuramenti nexu et uinculo et effectu omnes praedicti ciues subditi et incolae fuere per eundem Dominum caesareum Commissarium solemniter absoluti, salvo tamen iure cuiuscumque, prout in secundo ex supra insertis articulis reservatum et expressum est.

Uigore exinde et pro executione articuli tertii praedictis omnibus ciuibus, subditis et incolis enunciata fuit amnestia generalis et specialis pro personis, rebus et bonis, ac conseruatio caesariae protectionis, prout etiam quorumcumque eorum iurium, immunitatum ac praerogatiuarum.

Utterius Illmus et Reuerendissimus D. Commissarius pontificius inhaerendo etiam nuper conuentis in alma urbe, et uigore Mandatorum Sanctitatis suae ac facultatis sibi specialiter tributae ab Eminentissimo D. Cardinali Patritio promisit promulgationem publici edicti, quo mediante firma semper et inconcussa remaneant omnia decreta, sententiae et acta iudicialia a tempore occupationis praedictae usque in praesentiarum emanata.

Hisce praemissis et peractis uentum est ad dimissionem et consignationem huius ciuitatis et locorum adiacentium ut supra

hactenus occupatorum, media effectiua traditione clauium, quae traditae fuerunt in manibus praefati Illmi. & Reuerendissimi D. Commissarii pontificii.

Fuitque exinde per Excellentissimum D. Commissarium caesareum dimissus praedictus Nobilis J. C. Colleg^{us} Mediolani D. Pius Mirabilia caesareus Delegatus exterique Ministeri caesarei, prout et eodem actu demandatum fuit Nobili et Strenuo Viro D. Chiliarchae Joseph Seidelhuber, huius caesarei praesidii Praefecto, ut una cum superstito praesidio abiret, dictamque ciuitatem eiusque territorium et loca adiacentia hactenus occupata desereret, et libera dimitteret.

Successiueque ex ordine praefati Illmi. & Reuerendissimi D. Commissarii pontificii iussum est, ut subingrederentur praesidium sanctae Sedis, renouatisque demum hinc inde curialibus officii inter eosdem Illmos D. Commissarios de plano et harmonice impletus remansit actus conuentae euacuationis et dimissionis.

Et de praedictis omnibus rogatus existit ego Notarius infra scriptus imperialis caesareus, sicut etiam rogatus existit eodem actu, licet diuisim, de peractis post aduentum Illmi. & Reuerendissimi D. Commissarii, D. Notarius pontificius.


Actum in praedicta Aula magna Communitatis huius illius civitatis Comacli, praesentibus Nob. Dno. Capitano Adam de Eröfs q^m Dni. Georgii Nobilis Hungari, et Nob. Dno. Johanne Jonathano de Palm, S. R. I. Equite, filio Dni. Johannis Uenenseis pro testibus ad hoc specialiter rogatis, et pro fide

AA

Ego J. C. Antonius Maria Auregius Causidicus Collegiatus Mediolani eiusdemque ciuitatis Notarius, et in hac parte tanquam Notarius imperialis caesareus specialiter delegatus ab Excellentissimo D. S. R. I. Comite Hieronymo de Colloredo, Gubernatore et Duce generali huius status Illmi. de praemissis omnibus rogatus existiti, edidi et concordavi, meoque tabellionatus signo muniui, et pro fide subscripsi. *Junio*

248^a

*Actus
solemnis
dimissionis
et
euacuationis
ciuitatis
Comacini
secutae
XX Februarii
CIDI^oCCXXV*



Handschr.
248^a
fol.